Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26052
Copyright: Admont, Benediktinerstift



bathaim. ~~selmon~~ que uertitur in contemptum palatarum
siue obprobrium et per hoc discimus omnia dulcia ac in lecebras
uoluptatum pretereuntes in secto contempnendas. et ob-
probria diligenda que si falso obtiantur beatitudinem
pariunt saluatori plenissime producente qui ait. Cum ex-
probrauerint uos homines beati eritis. Quadragesima
prima mansio est in monte sabarim contra faciem montis nabo
ubi moritur moyses. et sepelitur terra repromissionis ante cons-
pecta. nabo interpretatur conclusio in qua finitur lex et non
inuenitur eius memoria. porro gratia euuangelii absque ullo fine
tenditur. In omnem terram exiuit sonus eorum et in fines orbis terre
uerba eorum. simulque considerandum quod habitatio tran-
seuntium in montibus sit. et adhuc profectum indigeat. post
montes enim plurimos ad campestria moab et iordanis flu-
enta descendimus. qui interpretatur descensio. Nichil enim
tam periculosum est. quam gloria cupiditatis. et iactancia et
animus. conscientia uirtutum tumescens. Quadragesimo
secunda mansio est in campestribus moab super iordanem iuxta ihe-
rico ubi fixerunt tentoria a domo solitudinis usque ad bel-
sachaim in planicie moab. In quadragesima secunda que ex-
trema mansio est quedam que sunt gesta narremus. sedens
in ea populus a diuino balaam quem mercede conduxerat
balaac dei uissu benedicitur. et maledictio mutatur in lau-
des. Sed quid est quod iste balaam dum peruenire ad propositum
tenderet. asina cui presidebat dum uidisset angelum loquitur.
Que est enim hec asina nisi bruta gentilitas quam quondam